

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christoph David Anton Martini

**Perseqvntiones Christianorvm Svb Imperatoribvs Romanis, Cavsa Earvm Et Effectvs**

**Commentatio I. : Sacra lesv Christi Natalitia Pie Celebranda Indicit**

Rostochii: Litteris Adlerianis, MDCCCII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1005148007>

Band (Druck) Freier  Zugang 



T. 512.

1802. Weihn.

A. 1256. 431. b.

Wahn 1802

SACRA  
IESV CHRISTI  
NATALITIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

D. CHR. DAV. ANT. MARTINI

SERENISS. DVCI REGN. A CONSILIIS CONSISTORII,

THEOL. PROF. PVBL. ORD.

ACADEMIAE H. T. RECTOR.

---

PERSEQVVTIONES CHRISTIANORVM SVB  
IMPERATORIBVS ROMANIS, CAVSAE EARVM  
ET EFFECTVS. COMMENTATIO I.

---

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS,  
MDCCCI.

4.1256.431.6

I E S A C H R I S T I



Ιερονίμος οὐκέτι οὐδὲ τόπον οὐδὲ τίτλον  
απέδειχεν αὐτός τοιούτος οὐδὲ τίτλον οὐδὲ τόπον  
απέδειχεν αὐτός τοιούτος οὐδὲ τίτλον οὐδὲ τόπον

Ναφεταὶ μεμνάσται πιστεῖν, αρθρα ταῦτα  
τῶν Φρενών.

EPICHARMVS.

**H**istoriae ecclesiasticae universae licet hoc tanquam sorte aliqua datum fuerit, ut fabulis et commentis omnis generis mirum in modum contaminaretur, vix tamen ulla alia eius pars pestilenti habe labe magis infecta est et commaculata, quam ea, quae persecutiones Christianorum sub imperatoribus Romanis ante Constantinum, martyrumque historiam tractat, qui in iis variis suppliciorum generibus affecti esse feruntur. Non magno acumine opus esse videtur ad intelligendum, qui factum sit, ut haec potissimum historiae Christianae pars tot somniis, hugis et deliramentis involveretur. Una et praecipua eius rei ratio querenda est omnino in summa illa et incredibili admiratione et veneratione, qua martyres inde a primis rei christiana temporibus habebantur. Itaque illi ipsi, qui rebus gestis interfuerant, cum memoriae eas mandarent, si vel maxime a mendacii improbitate essent alieni, fieri tamen aliter vix potuit, quam ut ab animo

commotiōre, martyrum admiratione perculso, gravissimo contra in vexationum auctores odio exacerbato, colore in oratio traheret, ut, quae evenerant, plus iusto augerent, veritate inque rhetorici pigmentis infucarent. Accedebat, qui omnium animos occupaverat, mirabilem historiarum amor, quodque in eiusmodi rebus tradendis non tam hoc iis propositum esset, ut rem gestam accurate exponerent, quam potius, ut animi sui sensus explicarent, audientium et legentium phantasiam accenderent, eosque in stuporem et admirationem raptos martyrii amore et reverentia imbuerent. Jam qui tales auctores sequuti persecutionum acerbitatem, martyrumque in cruciatibus perferendis constantiam et virtutem literis consignabant, cum de fuso oratorio detrahendo nil quicquam cogitarent, sed quae concitatiōre spiritu et audaciōre oratione dicta et scripta erant, ea tanquam ad rerum veritatem accurate exposita acciperent, facile res eo adducta est, ut falsa veris immiscerent, saepiusque phantasiae ludibria pro rebus gestis et eventis venditarent<sup>1)</sup>). Praeterea cum multorum martyrum non nisi nomina servata essent, nec quicquam amplius

<sup>1)</sup> Exemplo esse potest epistola de Martyrio Polycarpi, quae sub ecclesiae Smyrnensis nomine circumfertur. V. Corelerii patres Apostol. Vol. II. P. I. p. 195-204. ed. Cler. Portentis et prodigiis ita impleta est haec epistola, ut spuria et subdititia et pro seriore fetu habenda videri possit. Sed plane assentior Ven. Henke, qui in diss. de figurato dicendi genere, fonte multarum in historia Christ. fabularum (opuscul. p. 233.) eam primitivae antiquitati non ab iudicandam, mirificamque hanc narrationem non ex consilio quodam fictam, sed potius e declamatiuncula quadam in laudem Polycarpi conscripta repetitam, siue ad rhetoricanis aliquius homiletiae modum compositam esse defendit.

amplius de iis constaret, vel quod acta eorum literis non perscripta essent, vel quod temporum iniuria intercidissent, seriores scriptores, cum laudes eorum non silentio transmittendas putarent, obscuram et incertam famam sequebantur, seu fingendi libidini indulgebant, de vero exacte tradendo parum illi solliciti, gratiae popularium aucupandae, ingeniique ostentandi studiosiores<sup>2)</sup>). Major quoque fingendi licentia grassata est, ex quo reliquiarum cultus foedissima superstitione in ecclesiam irrepnit, martyresque, divino prope honore habiti, urbium, provinciarum, regionum dii quasi tutelares haberi coeperunt. Ex eo enim tempore, ut superstitioni nova alimenta suppeditarent, multi, e monachorum praesertim familiis, otio suo abutebantur, ut quorum martyrum nulla in probatae fidei monumentis

exstaret

<sup>2)</sup> E sexcentis exemplis, quae adducere posseni, unum apponere liceat. In Apocalypsi II, 14. menioratur *Antipas* martyr, apud Pergamenos religionis christianaee causa suppicio affectus. De rei veritate nemo facile dubitabit, cum Apocalypses auctor, quisquis ille fuerit, errare nec potuerit, nec voluerit, ne suam ipse auctoritatem infringeret. Videtur martyrium *Antipae* ad Domitiani tempora referendum, sub quo populi forte furore occisus est. Jam praeter istum locum nulla eius in antiquo quodam scriptore mentio iniicitur. Simpliciter *Antipam* tamquam martyrem fidelissimum ex l. c. Apocal. laudat Tertullian. Scorp. c. 12. Ne Arethas quidem Caesariensis, cuius commentarium habemus in Apocal. ulterius quid de eo commemorat. At lege mihi quae de Antipa circumferuntur Acta. Invenies, quomodo a populo comprehensus, praesidi deinde oblatus, ab hoc ex Romanarum legum praescripto damnatus, hinc ad Dianaee templum raptus, in bovem aeneum igne carentem injectus et exstus fuerit. Quis non videt, haec omnia lascivientis ingenii commenta esse, omni fide historica destituta?

6

extaret memoria, eorumdem tamen ex fictitiis somniis et revelationibus historiam communiscerentur. Itaque martyrologia Hieronymi, Bedae, Adonis, Usuardi, multo magis etiam seniorum scriptorum graecorum menologia, martyrumque acta pleraque anilibus narratiunculis, monstris et portentis repleta sunt, non solum nulla auctoritate suffultis, sed etiam maximam partem ita comparatis, ut ipsarum rerum, quae traduntur, natura ad fidem eorum evertendam sufficere videatur. Adde, quod inter ipsos scriptores Christianos, qui quatuor prioribus saeculis viguerunt, non pauci sint negligentiores, qui, quae aliunde accepta habebant, nulla cum cura et fide repetunt, mutant, variant, exornant, aliorumque sententias male narrando depravant. His tamen seriores scriptores, praeposta eorum admiratione abrepti, fidem plenissimam adhibere nulli dubitabant. Sic factum est, ut multa antiquitatis auctoritate nisi videantur, quae, si recte rei aestimes, ab unius hominis seu stupore et inscientia, seu levitate, credulitate, temeritate profecta sunt<sup>3)</sup>.

Quae hactenus disputavimus satis demonstrant, quicunque historiam persecutionum hoc nomine dignam prescribere velint, ante omnia iudicium subactum criticamque subtilitatem iis esse adhibendam, quo vera et genuina a spuriis et subdititiis, certa et explorata a falsis et dubiis secernantur. Qua quidem subtilitate critica cum destituti

essent  
3) Sic inepta fabula de Johanne apostolo a Domitiano in fervens oleum injecto, unde salvis et incolumis evaserit, unicum auctorem habet Tertullianum, qui sua credulitate sibi imponi passus est (de præscript. c. 36.), quae tamen, exornata etiam ab Hieronymo, qui e ferventis olei dolio pariorem et vegetioreum affirmat exiisse Johannem, quam intraverit, (adv. Jovin. l. 1. T. IV. P. 2. p. 169. Ben.) per multorum saeculorum decursum pro re vere gesta accepta est.

essent, qui inde a Centuriatoribus Magdeburgensibus per aliquot saecula fere historiam ecclesiasticam conderent et conscriberent, mirandum non est, quod nubeculas illas, ex superiorum saeculorum barbarie rerum veritati obductas non prorsus dispellerent, et in persecutionib[us], quibus res Christiana turbata et afflita est, enarrandis, multa retinerent, quae vanis commentis et anilibus narratiunculis potius, quam rebus vere gestis accensenda videntur. Scriptores quidem Pontificij, quod facile intelligitur, causas proprias etiam habebant et peculiares, cur persuasiones de persecutionum multitudine et crudelitate, martyrumque immensa copia, quas ipsa antiquitas multorumque saeculorum decursus conservasse videbatur, non deserendas esse putarent. Itaque Baronii Cardinalis Annales hac quoque in parte multis magnisque vitiis laborare video[nt]. Sed Protestantium quoque longe plurimi satis diu opinionum temere captarum ludibria sequi malebant, quam rerum traditarum fidem fundumque explorare. Constat quanto plausu a nostris exceptus fuerit CHRISTIANI KORHOLTI liber *de persecutionibus ecclesiae pri-maevae sub imperatoribus ethnicis*<sup>4)</sup>; in quo tamen lectionis quidem copiam et varietatem facile agnoscas, acumen criticum vero prorsus desideres. Itaque de ea quaestione, quae in scriptoribus antiquis, quos in testimonium citas, primo loco agitanda est, quos illi secuti sint auctores, aut unde sua petierint, qua fide, quo iudicio, de hac inquam quaestione ne cogitasse quidem videtur. Taceo reliquos naevos, quod saepius immiscet, quae a consilio aliena sunt, aut in minutis haeret liberali industria indignis. Nihilominus tanta Kortholti diu fuit auctoritas, ut hunc maxime sequerentur, qui in eodem argumento

trac-

4) Secunda libri editio priore multum auctior prodit Kiloni  
MDCLXXXIX,

tractando desudabant. Exortus est tandem HENRICUS DODWELLUS, immortalis memoriae vir, qui princeps opiniones vulgates de persecutionum per tria sacula diurnitate, martyrumque immensa multitudine, longo usu illas confirmatas, falsissimas tamen, convellere conatus, in dissertationibus *de paucitate martyrum et de primorum martyrum insigni fortitudine eiusque causis* critici acuminis et praeclarae eruditio exhibuit<sup>5)</sup>. Licit enim hoc argumentum non exhausisse videri possit, multa quoque aliis reliquerit perficienda, expolienda, emendanda, manet illi tamen laus sua integra et illibata, quod ad saniorem et rectiorem huius argumenti cognoscendi et tractandi rationem faciem praetulerit. Quamquam enim assertiones eius ipsa novitate sua non paucos vehementer offendebant, partium studio opinionumque praeconceptarum levitate in transversum abreptos, id tamen assequitus est vir sageissimus, ut  
temporis  
 5) existant inter dissertationes Cyprianicas n. XI, XII. Primo prodierunt Oxon. 1684. adiectae sunt deinde operum Cypriani editioni a Job. Fell curatae Amst. 1700. Subiunctae etiam sunt ed. Oxoniensi Bremae repetitae 1690. — Contra Dodwellum data opera disputarunt Theod. Ruinart in praefat. ad Acta martyrum sincera; Ant. Pagi in critica Baron. ad a. 64. ad a. 90 et fere ad singulos annos, quibus persecutio aduersus Christianos excitatae commemorantur, Mabillon in itiner. Ital. p. 113. Ausaldi de inopia veterum monumentorum pro copia martyrum dignoscenda. Mediol. 1740. 4. et de Martyribus sine sanguine aduersus Dodwellum ib. 1745. Ant. Sandinus in dissert. historicis ad vitas pontificum Roman. Ferrar. 1771. 8. diss. VIII. — Dodwelli vestigia legit Edm. Gibbon, politissimus scriptor, in the history of the Decline and Fall of the Roman Empire ch. XVI. Vol. II. p. 314. ed. Basil. Adde eiusd. vindication of some Passages in the XV. and XVI. ch. of his history.

XXXXX

temporis progressu multi, ad rei summam quod attinet, in sententiam eius concedere non dubitarent. Omnino vero, si a paucis discesseris, quos aut antiquitatis amor occoecat, aut superstitione debilitas, omnes eruditi, ex ipsis quoque Pontificijs, ex eo inde tempore multas fabulas temere creditas abiicere et de toto hoc argumento paulo rectius sentire coeperunt.<sup>6)</sup> Nostra præsetim aetate, ex quo antiquitatis omnis notitia ad severiores rationes est revocata, historiarumque critice subtilior locum suum in literarum studiis occupavit, in hoc quoque rerum genere multa accuratius esse constituta, quis est qui ignoret? Omnem vero hanc causam ita absolvisse virorum doctorum subtilitatem ac diligentiam, ut nihil prorsus aliorum curis relictum sit, pronunciare non ausim. Quin potius persuasum mihi habeo, si quis universum hoc argumentum de rei Christianae sub imperatoribus Romanis ethnicis statu et conditione externa denuo ex critics severitate excutere aggressus fuerit, idemque rerum Romanarum accurata notitia imbutus in istorum temporum opiniones, sensus et mores se insinuare didicerit, multa adhuc melius constitui, aut luculentius declarari, causas praecipue et rationes vexationum, quibus Christiani exagitati sunt, pro temporis ratione varioque principum, qui rei Romanae praefuerunt, ingenio varias et diversas in clariore luce collocari posse<sup>6)</sup>, ut adeo opera in hoc argumento rite explicando posita fructu et utilitate sua non caritura esse videatur.

Non

<sup>6)</sup> Late hunc locum tractavit C. G. F. Walch in comm. de persecutionum Christianorum Romanarum causis non solum politicis sed etiam religiosis (nov. commentar. societ. scient. Goett. hist. et philol. cl. T. II. p. 1-39.); et de Romanorum in tolerandis diversis religionibus disciplina publica (ib. T. III. p. 1-33.) Virum tamen

quod trahitur de non scriptis in Bonae vita editissimis doc-

Non animus mihi est, nec esse potest, prolusionibus aliquot, quibus sacra Christianorum solemnia more et lege indicenda sunt, argumentum exhaustire, quod huiusmodi libellorum angustiis sese concludi haud patitur, sed ut pro dignitate et gravitate sua explicetur, libri molem sibi postulat. Praeterea nec tantum otii mihi nunc datum est, quantum ad illud retractandum satis esse videatur, muneris officiique curis undique assilientibus. Itaque summa tantum nobilissimi

argu-

doctissimum non omni ex parte mihi satisfecisse fateor. Ut verbo moncam, temporum rationes accuratius mihi distinguendae videntur. Neque enim, quae plura saecula ante Christum, alio rerum statu et conditione, in rebus ad religiones pertinentibus latae sunt leges, eaedem etiam senioribus aetatibus sine discriminé vim suam adhuc obstinuisse putandae sunt. Ut enim in aliis partibus, ita et hic antiqui temporis austoritatem, humanitatis et mansuetudinis studiis magis excultis, mollitam, et a pristina severitate remissum esse, dubitari non potest. — Conferantur praeterea praeter Gibbon I. I. *Bynkershoek de cultu religionis peregrinae apud vet. Romanos*, in opuscul. L. B. 1743. n. IV. p. 233-297. praesertim p. 252. sqq. Semler de antiquo Christian. statu T. I. p. 44. 62. *Papst de ipsorum Christianorum culpa in vexationibus motis a Romanis.* Erlang. 1789. Herderi Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit T. IV. p. 128. G. Melmoth in l. cui titulum fecit: the translator of Pliny's letters vindicated from the objections of Jac. Bryant. 1794. et Hegewisch, vir doctissimus et acutissimus, quem honoris causa nomino, in l. Ueber die für die Menschheit glücklichste Epoche in der Römischen Geschichte p. 171. sqq. Quae quidem scripta si inter se contuleris, mirum quantum vel doctissimos viros in hac causa in diversa abire intelliges, aliis Romanorum in tolerandis religionibus peregrinis aequitatem summis laudibus efferentibus, aliis eandem iis tantum non abiudicantibus.

argumenti capita paucis delibabo, rem omnem vero per aliquot sectiones ita distribuam, ut primo loco *persecutiones publicas, quibus Christiani afflitti esse feruntur*, breviter strictimque persequar, tum in *causas earum paulo subtilius inquiram, tandem earum effectus edisseram.*

### Sectio prima.

#### PERSEQUEPTIONES CHRISTIANORVM QVAE ET QVALES FVERINT?

Ad denarium numerum referuntur vulgo persecutions Christianorum graviores, imperatorum edictis decretae et per universum orbem Romanum pertinentes. Quae quidem computandi ratio licet satis illa antiqua, quippe iam quinto saeculo p. C. usurpata, tantum abest, ut fundum historicum sibi substructum habeat, ut potius levissimis opinionibus et tantum non ineptis innitatur. Potissima enim causa, quod satis nunc constat, qua inducti sunt homines, ut hanc rationem inirent, posita est in Apocalypse loco quodam, prave intellecto. Nimirum cum c. XVII, 1-14. belluae mysticae decem cornua commemorata viderent, ad decem imperatores Romanos et ad vexationes Christianorum ab iis commotatas ea referenda esse putabant, satis quidem absurde, quod Poetae phantasmatu ad rerum gestarum veritatem exigerent. Nec melius rem instituerunt alii, qui decem plagas, quae in Exodo Aegyptiis olim illatae esse traduntur, ad persecutions Christianorum accommo-

B 2

dandas

Vid. Augustin. de civit. dei XVIII, 52. opp. T. VII. p. 404. 405.  
ed. Bened. qui tamen ipse hanc rationem convellit. — Orosius  
quidem, cum bene sentiret, Aegyptios ex hac ratione satis inficete  
sustinere personam Christianorum, aliter rem inflexit Decem

Isra-

dandas esse censebant<sup>7)</sup>). Utut vero omnis haec numerandi ratio a perversa locorum aliquot sacrarum scripturarum acceptione profecta sit, quo magius tamen, quid in vulgaribus opinionibus repudiandum sit, in oculos incurrat, decem istas, quae vulgo censentur, persecutio[n]es percurram, quo facto luculentius et maiori cum fructu veram rerum faciem et conditionem sub unum conspectum ponere licebit.

Princeps itaque N E R O Christianos per orbe[m] Romanu[m] dispersos crudelissima persecutio[n]e vexasse fertur. Et illud quidem dubio vacat, gravissimorum quippe testium auctoritate munitum, contra Christianos Romae degentes dira acerbitate et [belluina] feritate ab immanni tyranno saevitum esse. Horrendum enim incendium, quo magna urbis pars consumta est, cum ipse, e communi certe opinione, excitasset, quo ex destructa urbe splendidiorem conderet, magnificentiae, praesertim in aedificando studioissimus<sup>8)</sup>, ut rei invidiam a se averteret, culpam in Christianos contulit, multosque

Israelitarum contradictiones aduersus Mosen *decem* imperatorum Rom. edicta aduersus Christianos; *decem* plagas autem Aegyptiorum *decem* calamitates Romanorum, quae vexationes Christianorum e vestigio consequatae sint, repraesentasse statuens. Vid. El. histor. adv. Paganos VII. 27. p. 533. ed. Hayer. Quod miror non observatum esse Moshemio in commentar. de rebus Christ. p. 99.

<sup>7)</sup> Tacitus Annal. XV. 40. videbatur Nero condenda[re] urbis novae et cognomento suo appellanda[re] gloriam quaerere. Sueton. Ner. c. 38. Quasi offensus deformitate veterum aedificiorum et angustiis flexurisque vicorum incendit urbem; cf. Dio Cassius I. LXII. c. 16-18. T. II. p. 1014. sq. cum notis Reimari. — Vulgo ut ardentis Troiae speciem velut per Iudicium exprimeret Romanum Nero incendisse fertur. Sed, ut bene Reimarus, vulgus de malis principibus etiam ultra humanae malitiae modum suspicatur.

quaesitissimis suppliciis affecit<sup>9)</sup>). Sed duo sunt, quae in opinione vulgari reprehendenda occurunt. *Alterum*, quod hanc persecutionem omnes imperii Romani provincias pervasisse suinunt, *alterum*, quod doctrinam religiosam Christianorum huic calamitati occasionem et causam praebuisse volunt. Ad prius quod attinet, nullo idoneo teste probari potest, vexationem Nerorianam urbis fines egressam esse. Nihil habat Tacitus, gravissimus auctor, e quo tale quid colligi possit; nihil Suetonius. Ipse adeo Tertullianus, qui quidem tantum abest, ut eiusmodi facinorum atrocitatem dicendo imminuat atque extenuet, ut potius eam intendere atque augere soleat, persecutionem Nerorianam

ad

- <sup>9)</sup> Locus classicus et primarius est apud Tacitum Ann. XV. 44. Abolendo rumori (Sc. iussi incendi. cf. c. 38. sq.) Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus *Christianos* appellabat. — Primo correpti qui fatebantur, deinde, indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendi, quam odio generis humani convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contexti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi; aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. — Vnde quamquam adversus sontes, et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur. Adde Sueton. Ner. 16. Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae ac maleficae. Scriptores Christiani, qui de hac persecutione exponunt, Tertull. Apol. c. 5. c. 21. Euseb. in Chron. p. 206. ed. Scal. Histor. Eccles. II. 25. Lactant. de mortib. persecut. c. 2. Sulpit. Sev. c. 28. 29. Oros. VII, 7. p. 472. 473. ed. Hav. eadem fere repetunt. Quae praeterea habent, vel e fama obscura vel e conjectura petita sunt. Ipsa narratio de Paulo et Petro hac persecutione absumtis non nisi traditione inititur.

ad Christianos Romae degentes revocat<sup>10</sup>). Accedit quod crimen incensae urbis non nisi Christianis Romae versantibus ulla cum specie intentari poterat. Laudantur quidem in contrariam partem testimonia *Lactantii, Sulpitii Severi et Orosii*<sup>11</sup>). Enimvero putabimusne, horum scriptorum seniorum, quorum negligentia partim, partim tumor et abundantia vel sexcentis exemplis probari potest, ariolationes habere vim auctoritatis ac fidei historicae certae et exploratae?

Egregium quidem opinionis vulgaris praesidium omni exceptione maius in Tertulliano invenisse sibi visus est *Moshemius*<sup>12</sup>) ita fere rationes subducens: Tertullianus in Apologetico magistratibus, qui inhumanitati suae et acerbitate in Christianos legum auctoritatem praetexebant, inter alia respondet: leges illas, ad quas provocarent,  
rogatas

<sup>10</sup>) *Apolog.* c. 5. T. V. p. 16. ed. *Semler*, consulte commentarios vestros; illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romae orientem, Caesariano gladio ferocisse. c. 21. p. 60. Discipuli (Christi) — Romae — per Neronis saevitiam sanguinem Christianorum seminaverunt.

<sup>11</sup>) *Lactaut.* I. c. 1375. ed. *Büneman*. Nero — cum animadverteret, non modo Romae sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, et ad religionem veram — transire — prosiluit ad excidendum coeleste templum, delendamque iustitiam. *Sulpit. Sev.* II, 28. — Hic primus Christianorum nomen tollere aggressus est. — c. 29. — Post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis, Christianum esse non licebat. *Oros.* VII. 7. Nero — Christianos — per omnes provincias pari persecutione excruciali imperat, ipsumque nomen extirpare conatus &c.

<sup>12</sup>) *Commentar. de rebus Christ.* ante *Constantin.* M. p. 109, 110. — Locus Tertulliani laudatus exstat in *Apolog.* c. 4. 5.

*rogatas esse ab imperatoribus ob crudelitatem, impietatem et amen-  
tiam detestandis, a Nerone scilicet et Domitiano.* Certum itaque  
esse, Neronom aequae ac Domitianum edicta contra Christianos  
proposuisse. Quo concessso illud etiam necessario concedi debere,  
*vim eorum ad omnes provincias dimanasse.* Sed ullam firmitatem  
satis idoneam huic argumento inesse dubitamus. Fac Tertullianum  
ita statuisse, equidem huic assertioni non maiorem fidem tribuendam  
esse putarem ac alteri illi, quam eodem loco adfert: *Tiberium  
imperatorem divinitati Christi tantopere favisse, ut inter publica  
populi Romani numina eum cooptasset, nisi huic consilio Senatus  
obstitisset.* Praeterquam enim quod saepissime Tertullianus ex fama  
obscura et incerta pendet, sententia illa, ex qua Neronis et Domitiani  
edicta in Christianos Tertulliani adhuc tempore valuisse putantur,  
vel propterea locum habere non potest, quod Acta eorum a Senatu  
rescissa esse constat <sup>13)</sup>). Nulla certe eiusmodi edicta extiterunt  
Plinii Secundi aetate, quod ex epistola eius notissima <sup>14)</sup>) appareret.  
Mihi tamen, ut dicam quod sentiam, Tertulliani locus, quo in suam  
rem usus est *Moshemius*, in alium sensum interpretandus esse videtur.  
Romani nimirum, licet in tolerandis religionibus quibuscumque  
aequissimi essent, et unumquemque religionem privatam, quam  
vellet, amplecti permitterent, religionem tamen publicam, quae  
caerimoniis maxime et ritibus absolvebatur, quoniam summa eius  
erat cum reipublicae forma necessitudo et coniunctio, labefactari et  
everti, populumque ab ea abstrahi nolebant. Jam cum hanc ipsam  
religionem tanquam superstitionem et impiam Christiani impugnarent,  
aliosque ad assensum persuasionemque opinionum, quas ipsi fovebant,  
quovis

<sup>13)</sup> cf. Sueton. *Neron.* c. 49. *Domit.* c. 23.

<sup>14)</sup> X, 97.

quovis modo pertrahere studerent, quicunque magistratus iniqua in Christianos essent voluntate, legum auctoritatem quodammodo obtendere poterant tanquam causam, cur iis non parcendum existimarent. Itaque non de edictis quibusdam specialibus, contra Christianos propositis sermo iis erat, sed de legibus, quae publicam religionem sartam tectamque vellent. Quibus quidem respondet Tertullianus, eiusmodi legum, quae per se iniustae essent, nullam rationem habuisse principes probos et humanos, sed improbos tantum et iniquos, Neronem puta et Domitianum. *Quales, ait, leges istae, quas adversus nos soli exequuntur impii, iniusti, turpes, vani, dementes et s. p.*<sup>15)</sup>. Ita mihi quidem hic locus expediendus videtur, in quo aequo animo feram si aliis alia omnia placere video.

Sunt denique, qui ad tuendam opinionem vulgarem de persecutione Neroriana ad omnes provincias pertinente ad inscriptionem provocant, Pisvergae in Hispania repartam, in qua celebretur Nero ob provinciam latronibus, et his, qui novam generi humano superstitionem inculcarent, purgataam. Superstitionis novae appellatione, aiunt, religionem Christianam intelligendam esse, propter loca Taciti et Suetonii notissima<sup>16)</sup> dubitari non posse. Itaque, ut Pagi verbis utar, ex illa inscriptione deducendum esse, non tantum in Hispania eiusmodi de Christiana religione prostrata erecta trophya, sed et in aliis provinciis similiter factitatum esse. Eniinvero inscriptio illa merum commentum est, nulla attentione dignum. Praeterquam enim

<sup>15)</sup> l. c. cap. 5. p. 17. Quod ait Mosheimus l. c. p. 110. *leges exequi* stylo Tertulliani idem esse quod *ferre, sancire leges, gratis sumitur*, nec ullo alio loco comprobari potest. Caetererum pro *exequuntur* alii codices habent *exercerent*, sensu eodem.

<sup>16)</sup> Tac. Ann. XV, 44. Sueton. Ner. c. 16.

enim, quod praeter Cyriacum Anconitanum, qui primus eam protulit, hominem obscurum et fallacem, nemo eam oculis usurpavit, quo minus pro vera et genuina haberi possit, illud etiam obstat, quod per certa historiae documenta illa aetate Christianismus nondum per Hispaniam propagatus existimari possit, nisi quis fabulas de ecclesia Hispanensi a Paulo et Jacobo maiore fundata, iam satis illas explosas, amplecti velit<sup>17)</sup>.

*Alterum*, quod in opinione vulgari vituperandum esse diximus, hoc erat, quod propter ipsam religionem Christiani a Nerone vexati et afflicti esse putantur. Quodsi Tacitum audimus, nulla doctrinæ eorum religiosae ratione habita, ob solum incensæ urbis crimen, falso iis impactum, contra eos saeviit immanis tyrannus, vile nimis damnatum ratus, si interiissent, quin etiam populi favorem sibi se conciliaturum esse sperans, si hominibus, qui tanquam superstitione externa infecti et generis humani hostes traducebantur, urbem purgaret. Scriptores quidem Christiani Nerone in superstitionis patriæ et avitæ amore inductum de religione Christiana delenda et

ex-

<sup>17)</sup> Exstat famosa inscriptio apud *Gruterum Inscript.* p. CCXXXVII. 9; et apud *Baronium ad a. c. 69. n. XLVI. ed. sec.* Eandem defendit *Pagi* crit. ad a. 64. n. IV. qui etiam in hoc fallitur, quod eam adhuc in Hispania ante omnium oculos positam esse contendit. Exstat pro eadem tuenda *Jmman. Walchii* dissert. marmor Hispan. illustratum et vindicatum. Jen. 1750. — De genuina eius auctoritate dubitaverat iam *Scaliger* de emendat. tempor. I. I. p. 471. Ipse Ferrera in *Histor. Hispan.* T. I. p. 357. vers. germ. quid de ea statueret, non obscure declaravit. Itaque mirati sumus, nuper admodum *F. E. Gierig* V. C. in ed. Epp. Plinii T. II. p. 504. fictitiae huius inscriptionis testimonio usum esse.

extirpanda cogitasse ferunt. Sed in hoc non idoneos testes eos sequutos esse, sed suum tantum iudicium, quod quidem in unoquoque scriptore a rebus in facto positis diligenter secernendum est, exprimisse, facile appetet.

Caeterum persecutio Neroniana incidit in annum c. LXV. Sumunt fere omnes, usque ad a. LXVIII. quo mortem sibi concrivit Nero, illam protractam esse. Qua de re cum nihil accurate definiant scriptores antiqui, iam aliquod tempus ante mortem eius deferuisse videri possit. In alterutram partem statuendi causas iustas mihi quidem haud suppetere fateor, licet in posteriore sententiam proniorem me sentiam.

Postquam per triginta fere annos publica pace gravisi erant Christiani, DOMITIANVS inde ab a. C. xc<sup>v</sup>.<sup>18)</sup> novam calamitatem iis intulisse fertur. Quodsi scriptores Christianos complures, seriores praesertim, audias, gravissima fuit haec vexatio totum orbem Romanum

per-

<sup>18)</sup> Temporis notatio certa est tum ex *Dione Cassio* LXVII. 14. T. II. p. 1112, tum ex Eusebio H. E. III, 18. p. 109, ed. Read. qui quidem *Bruttium* historicum sequutus est, de quo nihil certi constat. Comiciunt viri docti, intelligendum esse *Bruttium* Praesentem, qui cum imper. Antonino consul fuit, aut saltem gentilem eius. *V. Scaliger* animad. Euseb. p. 204. *Vossius* de histor. graec. I. III. p. 164. 165. opp. T. IV. — Errasse *Baronium*, dum persecutionem Domitiani iam a. c. 90. initium sumisse putat, praclare docuit *Pagi* ad a. 90. n. V. Ipse tamen dum a. 93. eam inchoatam, a. 95. autem magis explicatam sumit, magis conjecturam quam vera rerum vestigia sequutus est. Nec magis probandus est Natalis Alexander, qui a. 92. initio eius assignat, *Hist. Eccl.* T. III. p. m. 31.

pervagata<sup>19)</sup>). Subtiliore tamen examine instituto facile intelligas, non solum per brevem illam, sed etiam parum cruentam fuisse. Quid rei narratae veri insit, ut melius perspiciatur, hanc rationem sequar, ut a certis et exploratis ad ea quae incerta videri possint pergam. Certum videtur a Domitiano in insulam Patinum relegatum esse Johannem apostolum. Licet enim a nullo scriptore coaevo hoc proditum sit, tam constans tamen ea in re est veteris ecclesiae traditio<sup>20)</sup>, ut, cum nihil habeat, quod ipsa natura sua cum veritate pugnet, a iusto et aequo iudice fides ei haud deroganda esse videatur.

C 2

Constat

<sup>19)</sup> Sic v. c. Orosius VII. 10. p. 483. Per annos quindecim ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Christi ecclesiam datis *ubique crudelissimae persecutionis exemplis evelleret &c.*

<sup>20)</sup> Exilii huius mentionem iniiciunt Tertullian. de praescript. c. 36. T. II. p. 14. Origenes comm. in Matth. XX, 23. opp. T. III. p. 719. 720. ed. de la Rue (hic tamen nomine imperatoris, a quo in exilium missus est, non adscripto) Euseb. in Chron. ad a. XIV. Domit. p. 208. H. E. III, 18. Hieronymum et scriptores allegare nihil attinet. Laudanda caeterum Origenis et Eusebii diligentia, qui ipso loquendi modo, ille formula: η παρεδοτις διδασκει, hic addita veluti nota: Κατεχει λογος, se non nisi traditionem sequitos esse indicarunt. — Traditionis huius veritatem memini a doctis quibusdam hominibus in dubitationem vocatam esse, quod Epiphanius Johannis exilium ad tempora Claudii imp., Arethas Caes. ad Neronis, Theophylactus denique ad Traiani tempora reiiciunt. Sed quomodo *talium* scriptorum ariolationes vetustiori traditioni satis constanti fraudi esse possint, me non intelligere fateor.

Constat porro certa historiarum fide<sup>21)</sup> Flaviam Domitillam, Flavii Clementis Consulis vel uxorem vel neptim, Domitiani consanguineam, et ipsam Christianam, in insulam Pandatariam seu Pontiam inclusam esse. Quodsi in apostolum, primarium Christianismi doctorem, cuius summa apud Christianos fuit auctoritas, non magis saevit Domitianus, (quod enim Tertullianus habet de eodem antea in ferveus oleum demerso, inepta fabula est nulla fide tradita); nec in foeminae nobilissimam caede grassatus est, satis probabiliter inde colligitur, non tantam vexationis huius fuisse atrocitatem et immanitatem, quantam eam informare solent scriptores Christiani. Constat enim inter omnes, in persecutionibus maxime saevitum esse in eos, qui vel doctorum et antistitutum munere fungerentur, vel qui loco quodam et numero essent inter Christianos, fortunis, opibus et dignitatibus conspicui, reliqua turba fere neglecta. Itaque ex illa, quam Johannes apostolus et Domitilla experti sunt, tractatione non sine ratione efficitur, scriptores Christianos, quod saepissime iis contigit, cupiditate et partium studio ultra veri terminos tractos esse, cum de diris cruciatibus, suppliciis et tormentis sermonem instituunt, quibus magna Christianorum pars a Domitiano afflita sit. Quodsi Eusebium audias<sup>22a)</sup> vel potius Hegesippum, e quo sua hausit,

Do-

<sup>21)</sup> Dio Cass. LXVII. 14. Euseb. I. c. Secundum Dionem Flavia Domitilla uxor fuit Flavii Clementis, secundum Eusebium eius ex sorore neptis. Non probanda mihi videtur eorum opinio, qui propter hanc discrepantiam duas Flavias Domitillas fuisse volunt, ambas genere et fide Christiana conspicuas. Multo verisimilius est, alterutrum scriptorem, Eusebium puto, errasse. Levior etiam est aliis dissensus, quod Dio insulam Pandatariam, Eusebius Pontiam ei vicinam nominat.

<sup>22a)</sup> H. E. III. 20.

Domitianus, cum adversus Judaeos stirpis Davidicae, affectati imperii ipsi suspectos, grassaretur, nonnullos quoque Judae, cognati Christi, nepotes apud ipsum delatos Romam arcessivit, et accuratum examen de genere, de possessionibus, de regno Christi, quod expectarent, cum iis instituit. Jam satis incerta est omnis haec narratio, unius Hegesippi, scriptoris levis et fabularum amantis testimonio innixa<sup>22b)</sup>. Nec tamen illa ipsa aliquid continetur de caedibus, quibus affecti fuerint, qui generis cognatione Christum attingebant. Quin potius propter obscuritatem et egestatem liberi et illae*si* dimissi esse traduntur. Unus propter *Atheismum* et *Judaismum*, cuius cum uxore incusatus erat, Clemens Flavius consul capitali supplicio affectus esse expressis verbis memoratur a Dione Cassio<sup>23)</sup>. Christianis sacris Clementem addictum fuisse nullus dubito. Atheorum nomine enim potissimum illo tempore traductos esse Christianos testatissimum est<sup>24)</sup>. Nec

minus

<sup>22b)</sup> Dubita complura contra veritatem eius movit Scaliger in animadv. Euseb. p. 205. quae diluere conatus est Valesius ad Euseb. H. E. III, 20. p. 109. 110. ed. Read.

<sup>23)</sup> I. c. T. II. p. 1112. Εν τῷ αὐτῷ ετεί (U. c. 848. C. 95.) αλλοις τε πολλοῖς καὶ τοῦ Φλαβίου Κλημενταῖς υπατεύοντας, καὶ πέρι αὐτῶν οὐται, καὶ γυναικοῖς καὶ αὐτῆν συγγενεῖς εἰσιτοῦ Φλαβίαν Δομιτιλλαῖν εχόντα κατεσφαξε ο Δομήτιλλος επηγειρθε δὲ αἱροῖς εγκλημα αἴθοτητος, ωφῆς καὶ αλλοι εἰς τα ταυ τοιδαιων ηθη εξοκελλούτες πολλοι κατεδεδικασθησαν.

<sup>24)</sup> Athei nimirum dicti sunt, quod deos receptos repudiarent. cf. de hac vocis potestate Cl. Sturzit observ. philol. de nomine αθεος, in commentar. societ. phil. Lips. Vol. II. P. 1. p. 68. sq. Multa tamen praeterierunt virum doctissimum, quibus in rem suam uti potuisset. Sic praeter hunc Dionis locum alias in memorabili illa Maecenatis orat. ap. Dion. LII, 36. T. I. p. 689. ubi postquam dixerat, peregrinarum religionum auctores ab Augusto odio

minus constat, primus temporibus pro secta Judaica habitos Christianos, propterea quod ex Judaeis orti essent, plura quoque in doctrina et ritibus cum iis communia haberent, saepius apud scriptores Romanos Iudeorum nomine venire<sup>25)</sup>). Certum quidem est Iudeos ipsos etiam, per fiscales praesertim calumnias a Domitiano vexatos esse<sup>26)</sup>). Quo minus tamen loco memorato Dionis de Judaeis vere sic dictis cogitari possit, vel illud obstat, quod ista aetate paucissimi Romanorum, nobilium certe, ad Judaica sacra transirent. Praeterea vero Flaviam Domitillam, Clementis uxorem seu neptim Christianam fuisse, ex Eusebio certum est. Itaque Clementem et ipsum Christianum fuisse dubitari vix potest. At vero si Suetonium compares, obscurum non esse potest, hominis Christianum practextum tantum praebuisse, alias vero et politicas quidem rationes subfuisse, cur eum e medio tolleret Domitianus. Sic enim Suetonius<sup>27)</sup>): *Flavium Clementem, patrualem suum, contemptissimae inertiae — repente ex tenuissima suspicione tantum non in ipso eius consulatu interemit.* Quorum verborum non aliis sensus esse potest, nisi hic: Clementem, licet propter ignaviam hominis nihil ab eo timendum esset, nihilominus de levissima suspicione, quasi res magnas appeteret, a crudelissimo tyranno occisum esse.<sup>28)</sup>

Om-

odio et suppliciis persecundos esse, addit: *Μητὶ οὐν αἴσιω τινι, μόντε γοντι συγχωρητης εων.* Manifestum est, αἴσιος h. l. non esse omnis religionis contemtorem, sed cui patria numina non probantur. Quo quidem loco et illud convellitur, quod existimat Sturzus, post Christi demum tempora vocem αἴσιος hoc sensu esse frequentatam, nisi dicere velis, Dionem argumentum tantum orat: Maecenatis ab aliis utcunq; accepisse, modum dicendi vero ipsum ex suo ingenio addidisse.

<sup>25)</sup> V. not. Reimari §. 83. et quos laudat.<sup>26)</sup> Sueton. Domit. c. 12. p. 537. ed. Ernesti.<sup>27)</sup> Domit. c. 15.<sup>28)</sup> Sunt qui *inertiae* vocabulo ad Christianismum Clementis respici putant

Omnino toto coelo aberrant, qui Domitianum avitae religionis amore ad Christianos vexandos impulsus esse sibi persuadent. Quin potius res ita cogitanda est. Erat Domitianus ingenium in summa arrogancia ac vanitate mire suspiciosum ac meticulosum. Itaque cum Christianorum nonnulli tanquam novarum rerum cupidi apud eum delati essent, eos partim capite partim exilio et facultatum publicatione plectebat, <sup>29)</sup> quemadmodum simuli de causa eodem fere tempore philosophos omnes Roma Italiaque submovisse commimeratur, uno edicto omnem philosophiam se excisurum esse ratus <sup>30)</sup>. Cacterum vexatio Christianorum circa Romanam ferme stetit. Quibus quidem hactenus disputatis si hoc addas, hanc vexationem vix unum annum implevisse, anno enim C. LXVI. iugulatum Domitianum esse constat, eam nec diutinam nec valde cruentam fuisse fateare necesse est. <sup>31)</sup> Tertullianus quidem Domitianum ipsum ante mortem violentam animo mutato Christianos relegatos revocasse memoriae prodidit. <sup>32)</sup> Potior fides tamen habenda est Dioni et Eusebio, qui hanc rerum mutationem ad Nervae imperatoris tempora reiiciunt. <sup>33)</sup>

Di-

putant. Ita praeter Burmannum, Kortholt Pagan. obrectator. III.

12. Havercamp ad Tertull. Apol. p. 356. Reimarus I. l. Venema H. E. III. 339. Sed vid. quae contra hanc sententiam monuit Ernesti.

<sup>29)</sup> Dio I. l. <sup>30)</sup> Sueton Dom. 10. Dio LXVII. 13. 30. cf. ill. Heyni opusc. IV. p. 432. sq.

<sup>31)</sup> Ut ne quid dissimulasse videar, non omittendum est, Eusebium in Chron. ad a. Domit. 15. auctore Brutio referre, multos in hac persecutione occubuisse. (*πολλοὶ χριστιανοὶ εμαρτυρηθαντείς Δομετίου, οὐδὲ Βρούττιος ἴσορει*). Sed ut taceam, de Brutio non constare, quam diligens fuerit in his rebus consignandis, tenendum est, vocabulum *multi* cum similibus communis usi tam vase et indefinite adhiberi, ut nihil certi illi superstrui possit. Auctor Martyrii Ignatiani (in Coteler. PP. Apost. II. p. 157.) et ipse sub Domitiano multarum persecutionum tempestates commemorat. Sed hoc Martyrium valde suspectum esse, infra docebitur.

<sup>32)</sup> Apolog. c. 5. <sup>33)</sup> Dio LXVIII. 1. Euseb. in Chron. et H. E. III. 19

Dicendum nunc esset de reliquis persecutionibus, quibus ante nova sacra in rem publicam a Constantino admissa Christiani vexati et attriti esse narrantur. Sed ab rumpendum filium, devenientemque ad id, cuius causa potissimum haec scriptio a nobis suscepta est. Instat dies, qui terrarum orbi faustissimus illuxit, dies natalis *Iesu Christi* Servatoris O. M. Qui quidem quantopere cum doctrina saluberrima et vere divina, tum vita castissima et sanctissima, eaque pro salute generis humani generoso animo profusa, de nobis omnibus, CIVES et COMMITITONES! promeruerit, neminem vestrum latere posse putamus. Itaque eius memoriain sancte colite, praecepta eius animis vestris alte infigite, et proligatis, quibus haec nostra aetas premitur, luxuriae et ignaviae vitiis, diris omnibus devovendis, ad severam virtutem, quam in omni vita I. C., tanquam imaginem in tabula, expressam videtis, ad frugalitatem et temperantiam, ad diligentiam et industriam, et ad humanitatem, unicam vitae magistram ac rectricem, animi sensus moresque componite. Ita defunum natalem Christi redeuntem recte et pie vos celebrasse existimatote.

---

P. P. in Acad. Rostoch. d. xxiv. Decembr. MDCCCLII.


---





Dicendum nunc esset de reliquis persecutionibus, quibus ante nova sacra in rem publicam a Constantino admissa Christiani vexati et attriti esse narrantur. Sed abrum pendum filium, deveniendumque ad id, cuius causa potissimum haec scriptio a nobis suscepta est. Instat dies, qui terrarum orbi faustissimus illuxit, dies natalis *Iesu Christi* Servatoris O. M. Qui quidem quantopere cum doctrina saluberrima et vere divina, tum vita castissima et sanctissima, eaque pro salute generis humani generoso animo profusa, de nobis omnibus, CIVES et COMMITTONES! promeruerit, neminem vestrum latere posse putamus. Itaque eius memoriam sancte colite, praecepta eius animis vestris alte infigite, et profligatis, quibus haec nostra aetas premitur, luxuriae et ignaviae vitiis, diris omnibus devovendis, ad severam virtutem, quam in omni vita I. C., tanquam imaginem in tabula, expressam videtis, ad frugalitatem et temperantiam, ad diligentiam et industriam, et ad Humanitatem, unicam vitae magistram ac rectricem, animi sensus moresque componite. Ita deum natalem Christi redeuntem recte et pie vos celebrasse existimatote.

P. P. in Acad. Rostoch. d. xxiv. Decembr. MDCCCLII.



the scale towards document